



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata  
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1535**

**VD16 B 9759**

Ecclesiarum & pauperum decimae

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35433**

LIBELLVS DE

positis plebs multatur, ut singulis annis decimas dan=do se defecisse agnoscant. Actione in Verrem, s. ora=8. Non ualde dissimile Gen. 47.

Si quis iam querit an Christianus huiusmodi deci=mas debeat iure diuino, responcionem habeat Christi, Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, et deo quæ sunt dei: et prophetæ Samuelis uerbū, Hoc est ius regis, et c. Item uerbum Pauli ad Rom. 13. Dei minister est magis stratus, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. Quapropter oportet esse subditos, non solum pro=ppter iram, uerum etiam propter conscientiam. Pro=ppter hoc enim et uectigalia soluitis. Siquidem mini=stri dei sunt, in hoc ipsum incumbentes. Reddite ergo omnibus quod debetur, cui tributum tributum, cui ue=tigal uectigal, cui timorem timorem, et cui honorem (trium honor, precium, pœna, mulcta, ultio et per=solutio) honorem. Ex quo colligimus Christiani ho=minis esse, ut et istas decimas pœnales persoluat.

ECCLESiarVM ET PAV=perum decimæ.

**Q**ui uel mediocriter ueterum rerum periti sunt, non ignorant apud uetusissimas eccl=esiās decimas fuisse, quæ hinc nomen sortitæ ecclesiastice dictæ sunt. Haec in ecclesijs in commune confes-

conferebantur, ex quibus deinde uerbi ministri, et ecclesiarum praesides, ac pauperes alebantur. Hic mos ex ueteri nimiri synagoga relictus in ecclesia Christi inoleuit: dabatur enim decimae Leuitis ex precepto et instituto dei. Harum decimarum paucae iam sunt, atque men ubi fuerint, persoluendae sunt et reddendae, non quod Moses praeceperit, sed propter ecclesiae consensum, et contractum qui intercessit, et quod haec magistratus consensu decretae sunt et firmatae, quorum ordinationi prijs omnibus obediendum est. Nam si quisque sic coepit colligere, Itē so vil vnd so vil bin ich dem schuldig/staat nit in neuuwen Testamente/ ergo, ich bin jm nüt schuldig/ scriptura sancta nihil aliud erit quam cautio aut rationarium. Quandoquidem uero semel hoc statuit sacra scriptura, ut omne debitum omnibus reddatur, Roma. 13. consequens nimirum est, idque omnibus debet esse cognitū, ut quae cunq; debemus summa fide reddamus.

Debitum uero hoc est, quod ex promissione aut pollicitatione uenit, aut ex consensu, quum quid bona fide inter uenditorem et emptorem recipitur aut promittitur, et deinde consensu et decreto magistratus publicis tabellis robatur. In decimis Ecclesiasticis hoc factum est, ergo in rationem debiti decimae Ecclesiasticae ueniunt. Si debitum sunt decimae, ergo persol uendae tibi erunt, idque iure diuino.

C

## LIBELLVS DE

Sed quid ad me (inquis) quid maiores nostri inse  
suscepint aut polliciti fuerint? non potuerunt me su  
is pollicitationibus obstringere, &c. Cede ergo bonis  
quæ ipsis hæreditate ad te transierunt. Nam si auus  
tuus aut parens non habuit ius sua uendendi, impi  
gnorandi, aut commutandi, nec ius habuit ea tibi dan  
di aut relinquendi. Quod si iure gentium tibi potuit  
bona relinquere, prioris etiam potestatem habuit.  
Redde igitur quæ debes. Nam si sic licet, præualuit om  
nis uis & rapina inter homines, nihil firmum aut con  
stans inter mortales amplius erit, nec fides nec iusiu  
randum constabit. Sic enim quisque tumultuabitur,  
& dicet: Quid ad me foedera, conditiones pacis, uen  
ditiones, tabellæ, sigilla? Si parentes mei demortui tibi  
fidem dederunt, aut iure iurando præstito aliquid pol  
liciti sunt, eos iure conuenias, eos adeas & ab eis po  
stules. Quid hæc tempore sint paritura, quis tam cæ  
cus qui non uideat: tumultus, bella, seditiones, & quid  
quid est usquā malorum. Facile ergo exploratum est  
omnibus cordatis, quo spiritu ducantur, qui huiusmo  
di sermones in uulgas spargunt, aut huiusmodi uer  
ba iactent.

## DECIMAE EMPTAE

& priuatae.

Bona